



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 93. Rothomagum a Rege obsessum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

reliqua autem ejusdem Episcopi opera Sæcul. XVI.
A. C. 1591.
 erant hæc. I. Examen doctrinæ Cal-
 vini, & Bezæ circa cænam, necnon
 responsum ad Bezæ apologiam. II.
 Commentarius *ad edicta veterum Princi-*
pum de tollenda licentia sectarum in Chri-
stiana Religione. III. Liturgiæ sancto-
 rum Chrysostomi, & Basilii, qui om-
 nes hi tractatus latino idiomate con-
 scripti prostant: gallice vero elucubra-
 bat Catholicæ fidei confessionem, nec-
 non dissertationem in devastationes Ec-
 clesiarum Catholicarum ab ipsis anti-
 quis hæreticis, & novis Calvinistis
 factas, præter alia quædam opuscula
 dogmatica. Ceterum hic idem Epi-
 scopus a Cardinale Lotharingio, qui
 eum ad suas ædes receperat, ad Pos-
 siacense colloquium, & demum ad Tri-
 dentinum Concilium mittebatur, ubi
 magnam sibi laudem comparabat: de-
 mum vero anno Domini millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo quinto Ebroi-
 census Episcopus creatus fuit, atque
 anno sequenti Blesensibus comitiis in-
 terfuit.

§. XCIII.

Rothomagum a Rege obsessum.

Interea Bironius Marefcallus expugna-
 ta Luparia Gurnavium infestis armis
 cinxit, atque impetu facto cepit, postea
 vero

*Thu. l. 102.
David. l. 12.*

Sæcul. XVI. vero Calatensem agrum pertransiens, A.C. 1591. Calidobecum, arcemque Augiensem occupavit, ac demum die undecima Novembris Rothomagum obsidere cæpit, Rege autem ad castra delato, die tertia Decembris urbis Præfectus, atque Ædiles ad deditionem per Fecialem provocabantur, sollicitati, ut Henricum tanquam Regem suum venerarentur. Prælegebatur Regis epistola præfente Governatore primo in Urbis Prætorio, ac postea in Senatu, nihilominus una omnes petulanter respondebant, tali hospite, qualis esset Navarræ Rex, ipsis minime opus esse: accepto hoc responso quantocius Rex obsidionales fossas aperiri, ac tormentorum suggestus erigi iussit: verum Mense Augusto anno sequenti obsidionem solvere cogebatur.

§. XCIV.

Gregorii XIV. Papæ obitus.

Cum jamjam exercitus, quem summus Pontifex in fœderatorum opem in Gallias transmittere parabat, ductore Monte - Marciano Duce Virodunum adventasset, atque ad expeditionem bellicam sese paratum teneret, inopinato nuntio summi Pontificis obitus innotuerat; hic enim, cum sæpius recurrentibus morbis, acutissimisque doloribus